

Prosper Alpinus hanc nobis dedit ejus descriptionem: „Arbor Evonymo similis est, sed tamen folia crassiora durioraque habet, viridiora perpetuoque virentia.“

A Linnaeo ⁴⁾ in systemate plantarum primo ordini classis quintae (Monogyniae Pentandriae) adnumeratur, et sub nomine Coffeae arabicae his verbis describitur:

Cal. Perianthium quadridentatum, minimum, germini insidens.

Cor. Petalum infundibuliforme. Tubus cylindraceus, tenuis, calyce multoties longior. Limbus planus quinquepartitus, tubo longior: laciniis lanceolatis: lateribus revolutis.

St. Filamenta V subulata, tubo corollae imposita. Antherae lineares, incumbentes, longitudine filamentorum.

Pist. Germen subrotundum, Stylus simplex, longitudine corollae. Stigmata duo reflexa, subulata crassiuscula.

Per. Bacca subrotunda, puncto umbilicato.

Sem. bina, elliptico-hemisphaerica, hinc gibba, inde plana, membrana involuta.

Ant. Laurent. de Jussieu ⁵⁾ coffeam arabicam in systemate suo naturali Rubiacearum familiae, quae ad classem XI ord. II pertinet, adnumeravit.

Secundum de Candolle coffea cum Psychatria, Rudgea, Chiococca etc. familiam Coffeacearum format, et ad eandem systematis sui familiam etiam H. G. L. Reichenbach ⁶⁾ eam adscripsit.

Semina coffeae arabicae secundum varias regiones, in quibus arbor colitur, nonnullas varietates exhibent; ex quibus quae ad nos afferuntur, haecce

4) Genera plantarum. Lugd. Batav. 1742. p. 73.

5) Genera plantarum. Paul. Usteri. Tur. Helvet. 1791.

6) H. G. L. Reichenbach, Uebersicht des Gewächsreichs in seinen natürlichen Entwicklungsstufen. Leipz. 1828. I. Th. S. 94.